



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illvstrivm Virorvm Poemata

Cesarini, Virginio

Antverpiae, 1662

Ad Iacobvm Philippvm Ninivm, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-7990

A D
**IACOBVM PHILIPPVM
 N I N I V M,**

S.D.N. ALEXANDRI VII. Pont. Opt.
 Max. Cubicularium intimum, & suppli-
 cibus libellis præpositum.

NINI meorum lecte flos amicorum,
 Cui melle Hybleo dulcius fluit puræ
 Orationis nectar ore facundo,
 Rerum potenti cùm refers ALEXANDRO
 Negotiosa supplicantum vota:
 Humanitatis sèpiùs tuæ fructum
 Expertus: oro, teq; rursus obtestor,
 Ociùs amici supplices preces nostri
 Recites. Quiritum namque fata formidans,
 Acerba fata, sospes ad suos Boios
 Auet redire, carbasisq; remisq;
 Fuge secundos prouocantibus ventos
 Per arua latè vectus alta Neptuni
 Adire litus hospitale Gallorum.
 At Vaticanæ dona nunc potestatis,

Cui

Cui paret æther, inferiqz, tellusqz,
Tantum requirit. Impios canis prægnans,
Paræqz cantus, montibusqz decurrens
Lupa Lanuvinis, imbriumqz diuina
Avis imminentum terreat: quid huic obstet,
Iterqz rumpat, si, quod unice poscit,
Cursus precetur prosperos ALEXANDER.

A D NATALEM
R O N D I N I N V M.

Quod utrique nostrum commodauit argentum
Ad vestiendum Græculum Fauoritus,
Cur Rondinine debuisse me solum
Reglutinare iudicas, minus recte
In me retorquens negligentiae culpam?
Debere nulli me libentiū nouit
Idem ille, semper qui mihi Fauoritus
Facit benignè, mutuæ voluntatis
Fideiqz certus usquequaque constantis.
Ne creditoris ergo debitor partes
Agas, amice, non rogatus obtestor;
Quin ipse cures, ut bonum sies nomen,
Fidemqz semper emulere Germanam.

IANI

Cui